

In apographo post Augusti nomen hoc erat rescriptum a Notario monogramma.



DCCCCXCI. n. 7. col. 9. Meminit hujus chartæ Aug. ab Ecclesia in Chronologia Episcop. pag. 316., ac post Augustinum Jo. Bricchierius Columbus. Edidit autem primus Vinc. Malacarne Ozj letter. vol. II. pag. 230. referens se eam accepisse a V. C. J. B. Vasco a Bastia, atque hunc Saonæ illam obtinuisse die 28. aprilis anno 1786. Cæterum, quæ hujus chartæ origo, quæ fata secuta juvabit paucis edisserere. Cum anno 1785. D. Bel-
 20 lora ex illustri, ac nobili Saonæ familia, ac Vicarius Generalis Aquas venisset, ac cum excell. D. Jos. M. Corte Episcopo Aquensi frequens adesset, intellexit me historia patriæ, atque Ecclesiasticæ præsertim studio admodum delectari, eoque tempore in conquirendis documentis ad Aquensium Episcoporum, atque Abbatum Chronotaxim spectantibus adlaborare: is discedens, si quid e re mea fore domi reperisset, missurum promisit. Paucos post menses epistolam dedit ad Episcopum memoratum, in qua ei significabat Johannem
 30 Thomam fratrem suum (cujus egregium extat poema Italicum super restauratione Abbatia S. Quintini inter carmina Accademia Sabbatia nuper in honorem illius Civitatis Episcopi typis editæ) inter veteres familiæ scripturas membranam sæculi XIV. reperisse, quæ foundationem Monasterii S. Quintini de Spigno continebat; atque hujus summa fidè exscriptum exemplar ad ipsum mittere. Accepto ab Episcopo exemplari maxima cum voluptate perlegi, & cum historia patriæ maximam lucem afferre posse viderem, illud
 40 amicis communicavi, scilicet R. P. M. Cavallerio, atque Cl. V. Johanni Bapt. Vasco a Bastia, qui pro summa, qua præditus est urbanitate, mihi quoddam Sibii Stibiotti Astensis Notarii Chartularium, cujus edendi desiderio teneri me noverat, ejus vice dono dedit. Tanti autem hoc foundationis documentum faciebat Cl. hic Vir, ut præcipuum, atque omnium maxime idoneum putaret ad Monteferratenses, aliarumque Marchionalium Pedemontanæ Liguriæ familiarum origines detegendas. Optasset autem vehementer meum,
 50 quod ei dederam exemplum cum autographo, aut veteri aliqua membrana conferre, at nusquam hoc sibi concessum fuisse, uti paucis abhinc diebus mihi narrabat. Hæc fuit chartæ origo, atque fortuna. Quæ erant adnotanda, nequis novitatis specie fucum aliis facere posset. Nunc autem quædam sphalmata, quæ Typographi incuria irrepsérunt, hic emendanda propono. col. 10. lin. 1. Marchii lege Madii l. 16. pro viro l. pro ipso viro l. 34. Episcopi l. Christi, quod ortum ex nota scripturæ compendiarie perperam in-
 60 tellecta. l. 57. pulcherado l. pulcherada l. 58. uti l. ubi col. 11. l. 50. Sambalaxo l. Sambalaxio col. 13. l. 5. nostram l. nostre l. 27. testes F. l. testes. Re-

liquas autem triginta & amplius variantes, quibus Malacarnis exemplar scætet inter apocryphas habeto. Unum addo, de quo me certiore reddit Marchio a Bostia, scilicet locum Sine l. 51. col. 11. memoratum forte illum eundem esse, qui Sinni hætenus vocatur inter Rhodium, Lequium, Cerretum, Arguellum, cujus mentio etiam in charta MCXLII. col. 55. lin. 47. DCCCCXCVI. col. 14. n. 8. Cum haud ita pridem hujus diplomatis aliud chartaceum exemplar sæc. XIV. in Archivo Capituli inventum C. V. Scoffonus Canon-
 10 nicus cum aliis chartis ad me misisset: illud quanta fieri potuit diligentia contemplatus sum, studioseque cum hoc contuli. Vidi autem nonnullis in locis præ vetustate litteras ita evanuisse, ut nisi subsidio aliquo juvarentur, fieri haud posse, ut multa legerem. Excitari itaque obsoletum linearum colorem aqua medicata oportere, cui operi adfuit humanissime C. Franchius R. Archivi Propræfectus, quo opitulante hæc emendanda esse in meo exemplari deprehendi. col. 15. lin. 17. quam communi de Tercio lege quam etiam de Tercio, atque propterea delenda tota nota sub n. 4., qui numerus inserendus erat a Typographo ante vocem Communi, ut oscitanter præterit. lin. 23. suam lege suamque. lin. 34. post confirmationem Typographi negligentia omissus n. 5., ad quem refertur annotatio. lin. 39. Caxinis lege Caxine. lin. 46. Camiliaria lege Camilaria. col. 16. lin. 19. Regis XIII. lege XIII. lin. 20. indic. VIII. lege indictione VIII. Notæ enim hujus apographi chartacei apprime historia consentaneæ sunt; nam anno 996. currebat indictio 9., & annus regni 13., cum inauguratio ejus celebrata fuerit an. 983.

MXIII. col. 20. n. 11. cum hoc ego documentum jam typis impressum ad Cl. V. Sclavum misissem, ille rursus ad Archetypum exegit diligentius, ac per epistolam me monuit hæc emendanda, quæ tum in suo primitus ad me transmissio exemplari, tum etiam in hoc typis edito, quod ex illo deductum est, irrepsérant. Ac primo certiore fecit Archetypum præferre
 40 an. MXXIII., cui anno congruit indict. VII. Hinc evanescit difficultas, quam innuebam in notis. Ob stare tamen videretur huic epochæ hoc anno Henricum obiisse mense julii die 14; at cum obierit Gronæ in Saxonia, nil mirum Notarios italicos adhuc cum ejus imperii nota chartas signasse, cum brevi hoc intervallo mortis notitia haud potuerit ad nos pervenire; quare puto notas, quas col. 25. lin. 4. & 5. præfert documentum, sic emendari oportere: anno imperii ejus Deo propitio XI, XVII. Kal. aug. indict. VII.

MXIII. col. 21. n. 12. Cum hoc diploma typis committerem, mancum adeo, ac imperfectum esse vehementer dolebam, eo magis quia nulla spes erat aliud integrius, ac perfectius nancisci. Subiit animum cogitatio tentandi, utrum in chartaceo apographo, a quo hæc fragmenta olim exscripseram, plura nunc detegere mihi contingeret, vel ob legendi peritiam, qua post illud tempus profeceram, vel aquæ medicatæ subsidio. Quapropter cum sapius expertus fuisssem humanitatem, atque in hæc mea studia propensionem Canonici Scoffoni tabularii Canonorum Præfecti illum rogavi ut ad me quamcivis illud transmitteret. Hoc præ manibus diu, noctuque versavi, ac adhibitis viris antiquæ scripturæ peritis, ope etiam cujusdam chymici